



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cursus Theologico-Moralis**

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus  
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

**Viva, Domenico**

**Patavii, 1723**

Art. IV. De Excommunicatione minore, ejusque causa, & effectibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40650**

## ARTICULUS IV.

De Excommunicatione minore, ejusque causa, & effectibus.

- I. Quid sit minor Excommunicatio? Et quam ob causam incurratur?
- II. Ea non incurritur ob culpam ex imperfecta deliberatione venialem.
- III. Per illam fidelis directe privatur passiva Sacramentorum participatione, & indirecte Beneficiorum collatione, necnon electione, ac presentatione ad illa.
- IV. Eam violans celebrando missam, irregularitatem non incurrit.
- V. Num ea innodatus valide Sacramentum Penitentia recipiat?
- VI. Si hic ad Beneficium eligatur scienter, electio videtur non esse irrita, sed irritanda.
- VII. Conferendo Sacramenta, nisi simul recipiat, probabilius non peccat.
- VIII. Communius negant, posse simplicem Sacerdotem ab ea absolovere.

I. **E**Xcommunicatio minor est Censura Ecclesiastica separans fidelem a passiva Sacramentorum receptione. Ita communiter definitur: Ea dicitur Minor relate ad Majorem, & ad effectus illius. Nunquam autem ab homine, sed dumtaxat a jure ferri solet usu in Ecclesia recepto isthac excommunicatio.

Quæritur nunc primo; Quam ob causam incurratur?

Respondeo ex dictis, incurri propter participationem in rebus prohibitis cum excommunicato excommunicatione majore non tolerato; Unde fit, non incurri per participationem cum excommunicato tolerato, aut cum excommunicato excommunicatione minore: Incurritur tamen non solum per participationem in divinis, atque adeo quando participatio est peccatum

ad maritum, cui pariter est subjecta: Contra vero filius non potest Patri excommunicato ministrare Sacramenta; nec coram eo Sacrum facere; quia talis communicatio non spectat ad rationem subjectionis, quam habet erga Patrem.

VIII. Quarto per verbum *Res ignorata* significatur, excusare ab incurrenda censura per communicationem cum excommunicato ignorantiam sive juris, sive facti: Et quidem etiam ignorantia vincibilis excusat, (modo non sit affectata, quæ comparatur scientiæ) ut docent Suar., Hurt., Con. contra Bonac., & alios; qui putant, solam ignorantiam invincibilem, quæ excusat a culpa, excusare a censura. Ad ignorantiam revocatur dubium; unde qui dubitat, an aliquis sit excommunicatus, non tenetur illum vitare.

Quinto demum per particulam, *Necesse*, significatur excusare necessitatem sive spiritualem, sive temporalem, non solum extremam, & gravem, sed etiam communem; ut constat ex dicto *Cap. Quoniam multos*, & ex citatis Doctoribus; Unde licite possum excommunicato vitando dare eleemosynam, tradere illi equum ad iter agendum, si alioquin non soleat pedester iter agere; Et eodem modo possum ab illo petere eleemosynam, & equum ad iter agendum, consilium, auxilium, &c., Nec teneor contractum societatis cum eo initum dissolvere. Excusatur etiam, qui per vim cogitur interesse sacro cum excommunicato; quia hoc non est de se intrinsece malum; non potest tamen per metum ullum simulare administrationem Sacramenti; quia hoc est contra reverentiam Sacramentis debitam, ut constat ex *propof. 29.* damnata ab Innoc. XI.



mortale, sed etiam per participationem in humanis, atque adeo quando participatio est peccatum veniale: Quod si quandoque participatio excuset etiam a veniali culpa, excusat etiam ab incurrenda excommunicatione minore.

II. Advertit tamen Suar. cum aliis, participationem cum excommunicato vitando dupliciter posse esse peccatum veniale. Primo ex levitate materiae, ut si quis salutet excommunicatum. Secundo ex imperfecta deliberatione, ut si quis audiat Sacrum cum excommunicato sine plena advertentia, & deliberatione. In primo casu non excusatur ab incurrenda excommunicatione minore, ex Cap. *Nuper, de Sententia excommunicat.* In secundo vero casu probabiliter excusatur; quia cum talis actus non sit perfecte humanus, non habetur consequenter per illum inobedientia, & contumacia proprie dicta, sine qua censura non incurritur.

III. Quæritur secundo; Quotuplex sit effectus excommunicationis minoris?

Respondeo, esse duplicem. Primum, qui directus est, & primarius, privare fidelem passiva Sacramentorum participatione, ita ut mortaliter peccet, qui hac excommunicatione innodatus Sacramentum aliquod recipit; Secundum, qui dicitur indirectus, privare fidelem electione, presentatione, & collatione Beneficii Ecclesiastici cujuscumque, etiam simplicis, ita ut mortaliter peccet, qui cum ea ad Beneficium aliquod eligeretur. Ita communiter Doctores ex Cap. *Si celebrat, de Clerico excommunicato ministrante*. Dicitur hic secundus effectus indirectus, quia cum excommunicatus minore excommunicatione privetur receptione Sacramentorum, privatur consequenter Beneficiorum susceptione, quæ ex intentione Ecclesiæ conferuntur, ut Ordines Sacros quis

suscipiat, & missam celebret. Quamvis autem in dicto Cap. solum fiat mentio de electione ad Beneficia, extendunt tamen communiter Doctores decisionem ad presentationem, & collationem; quia eadem est ratio in his omnibus.

IV. Ex dictis sequitur primo, excommunicatum excommunicatione minore sacrilegium committere, si Sacramentum ullum suscipiat; quia transgreditur legem in materia gravi; Si tamen cum tali excommunicatione celebret, non incurrit irregularitatem, aut aliam pœnam; cum id in jure non sit expressum; sed arbitrio Superioris puniendus est, ut notavit Glossa. Quare immerito Sylvest. V. *Excommunicatio* num. 4. docuit, quod si excommunicatus minore recipiat Ordines, privetur eorum usu; Nam, ut bene Suar., talis privatio non habetur, nisi per suspensionem, quæ in casu nostro non contrahitur.

Sequitur secundo, peccare etiam mortaliter, qui ministraret Sacramentum excommunicato minore; quandoquidem cooperaretur peccato gravi talis excommunicati indigne suscipientis Sacramenta.

Sequitur tertio, peccare etiam graviter, qui scienter eligeret ad Beneficia hujusmodi excommunicatum; violaretur enim lex Ecclesiastica in re gravi. Ita Suar., Filliuc., & alii apud Bonac. num. 7.

V. Quæritur tertio; Utrum excommunicatus minore Sacramentum Penitentiaè valide recipiat?

Respondeo, convenire Doctores omnes in hoc, quod valide reciperet reliqua omnia Sacramenta; Negant id duntaxat de Sacramento Penitentiaè Sylvest., Hurt., Vasq. Equidem cum Bonac., & aliis censeo, quod si iste intendat absolutionem peccatorum obtinere, non præmissa absolutione ab excommunicatione minore, cer-



certe invalidum esset Sacramentum Penitentia; quia committendo hoc grave peccatum careret dolore debito peccatorum; unde non darentur constitutiva Sacramenti; si tamen sine sua culpa absolveretur tantum a peccatis, non ab excommunicatione; quia, verbi gratia, Sacerdos ex sua malitia vult ab illis, non ab ista absolvere, non est ratio, cur Sacramentum deberet dici invalidum; siquidem per excommunicationem minorem penitentis non privat Sacerdos jurisdictione sua, nec ille est incapax Sacramenti.

VI. Quæritur quarto; An valida sit Electio ad Beneficium facta hujusmodi excommunicato?

Respondeo, Navar., Ugolin., & alios censere, esse irritam; Sed verius Vasq., Laym., Valent., Reginald. putant non esse irritam, sed irritandam, si facta fuerit cum scientia excommunicationis; secus vero neque esse irritandam: Quod colligitur ex dicto cap. *Si celebret*; ubi dicitur: Si tamen scienter talis electus fuerit, ejus electio est irritanda.

VII. Quæritur quinto; An excommunicatus minore peccet administrando Sacramenta, sicut peccat ea suscipiendo?

Respondeo, Sylvest., Armil., & alios putare, quod mortaliter peccet; quia in eodem cap. dicitur, *Peccat conferendo Sacramenta*; Certum autem est, quod si celebret, peccet mortaliter, cum recipiat Sacramentum celebrando: Si autem pure administret Sacramentum, Avil. cap. 2. disp. 12., Con. dub. 17., Reginald., Sor. putant peccare tantum venialiter ob indecentiam quandam, quæ habetur in hoc, quod Sacramenta administret, qui sua culpa non potest ea recipere: Sed probabilius cum Suar., Henr. Filliuc., Hurt. apud Bonac. quæst. 3. censeo, ne venialiter quidem peccare;

quia excommunicatio minor passiva tantum, non activa participatione Sacramentorum privat, cum expresse in dicto Capite dicatur, sic excommunicatum non esse remotum a collatione Sacramentorum. Ubi autem dicitur, quod peccet conferendo Sacramenta, sensus est, quod peccet, quatenus ea recipit, non quatenus ea confert, ut dicti auctores interpretantur; quia textus loquitur de Episcopo conferente Sacramentum Ordinis, atque adeo celebrante, & simul suscipiente Sacramentum. Quod si Episcopus excommunicatus minore conferret Sacramentum Confirmationis, cum nullum tunc Sacramentum susciperet, non peccaret.

VIII. Quæritur ultimo; An possit simplex Sacerdos ab hac excommunicatione absolvere?

Respondeo, Navar., Tolet., Hurt. disp. 16. diff. 2., & alios cum Dian. part. 5. tract. 9. resol. 3. probabiliter affirmare, ut abunde diximus cum de censuris in genere art. 2. quæst. 2.; quia scilicet qui potest a venialibus sacramentaliter absolvere, potest pariter absolvere a censura, quæ de se non exigit mortale, ut incurratur: Sicuti qui potest a mortalibus sacramentaliter absolvere, potest pariter a censuris non reservatis, quæ propter mortale incurruntur.

Communior tamen, & probabilior sententia id negat cum Suar., Filliuc., Bonac. quæst. 3. Et ratio est, quia in cap. *Nuper, de sententia excommunicationis* habetur, quod possit ab excommunicatione minore absolvere proprius Sacerdos; nomine autem proprii Sacerdotis venit non solum qui ordinariam habet jurisdictionem, ut Papa, Episcopus, Parochus, sed etiam qui habet jurisdictionem delegatam, ut est quilibet Sacerdos approbatus ad audiendas confessiones; ut docent Suar., Con. Filliuc. apud eundem.



dem Bonac. : Qui etiam notat, quod Parochus, & Episcopus, etiam si Sacerdotes non sint, possint ab excommunicatione minore absolvere; quia ad absolutionem a censura non requiritur ordo Sacerdotalis: In iure autem nomine proprii Sacerdotis venit Parochus, aut Episcopus, quia isti fere semper solent esse Sacerdotes. Quare quamvis posset simplex Sacerdos a venialibus absolvere, non per hoc debet posse absolvere ab excommunicatione minore; cum possint aliter, quam per Sacramentum Pœnitentiæ tolli venialia, ut notavimus loc. cit. Notat etiam Cornejus apud Dian. loc. cit., quod ab hac excommunicatione possit etiam Diaconus, ac etiam clericus ex delegatione absolvere. Ut licite autem absolutio conferatur, requiritur in persona absolvenda propositum non relabendi.

#### ARTICULUS V.

Quam ob causam, præsertim temporalem, ferri potest excommunicatio major?

- I. *Non nisi ob gravem culpam externam, & propriam, ea ferri potest; Et quando res, qua sub pœna excommunicationis prohibetur, est levis de se, aut indifferens, debet esse gravis propter finem gravem, ut possit sic sub gravi prohiberi, etiam si imponatur excommunicatio sententia ferenda.*
- II. *Ex Trident., ut possit ferri excommunicatio ob causam temporalem, requiritur causa gravis, & titulus, seu finis spiritalis.*
- III. *Quando excommunicatio fertur contra non revelantes, quinam excusentur?*
- IV. *In casibus Inquisitionis facienda est revelatio, etiam si delictum probari non possit, etiam si sub sigillo natu-*

*rati, & sub juramento non revelandi sit cognitum, etiam non premissa correctione fraterna, ut patet in simili.*

V. *Num denunciandus sit reus, si sit emendatus, delictum tamen sit publicum, aut habeat effectum pendentem?*

VI. *Quandonam subditi tenentur denunciare delicta vi Edicti, etiam si ad id non teneantur lege naturali?*

VII. *Quando ad denunciationem procedere debet infamia, aut correctio fraterna?*

VIII. *Non denuncians furem, ad quod sub pœna excommunicationis obligatur, probabiliter ad restitutionem tenetur.*

IX. *Quamdiu durat obligatio denunciandi post Edictum Prælatorum?*

I. **U**Nice propter mortalem culpam propriam, & externam posse ferri excommunicationem majorem tam latæ, quam ferendæ sententiæ docuimus quæst. I. art. 4. Unde deduximus, quodcumque sub pœna excommunicationis prohibetur, si lex sit justa, & valida, sub mortali prohiberi, etiam si res secundum se videatur levis, vel indifferens: Potest enim res levis, aut indifferens sub mortali prohiberi propter finem gravem; Verbi gratia, propter periculum proximum gravis culpæ, vel propter scandalum, vel propter grave damnum, quod alteri provenit. Quare quando multi, verbi gratia, grave damnum intulerunt Titio, singulis parum aliquid furripientibus, & sub excommunicationis pœna præcipitur restitutio, & damni reparatio, si singuli non restituant materiam illam parvam furreptam, peccabunt mortaliter, & excommunicationem incurrent, ut docent communiter cum Suar. hic sect. 2., Pal. disp. 2. de Censuris punct. 2. contra Covarr., & Navar. cap. 17. num.